



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dominicas Per Annum

Höger, Franz

Ingolstadij, 1726

VD18 90197089

Dominica II. post Epiphan.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53055)



DOMINICA II, post EPIPHAN.

Conjugiū.

THESIS I. *Nuptie factæ sunt.*
Joan. 2. v. 1. Honorabile connu-
bium in omnibus *Hebr. 15.* & quidem
honorabile in *Natura*, & secundum se
spectatum, & honorabile in suis *circum-*
stantiis. I. Ex parte Authoris, qui
est Deus, qui instar Paranymp̄hi ad-
duxit eam ad Adam. *Gen. 2.* II. Ex
parte Loci, ubi institutum fuit, nempe
in Paradiso, loco deliciarum & bene-
dictionum. III. Respectu Temporis,
quod erat adhuc Innocentiæ, & inte-
gritatis Naturæ. Atque ita ratione
Principii, Loci, Temporis, quin etiam *Finis,*
qui est, ut Electos cælo gignat, honora-
bile est. *P. Wesp̄in s. J.*

*Conjugium
infelix.*

THESIS II. *Nuptie factæ sunt.*
Joan. 2. v. 1. Cùm Deus instituerit
Matrimonium, eique benedixerit, un-
de fit, ut tot Conjugia sint infelicia?
nempe, quòd, antequam inearur, tri-
bus malis *Consiliariis auris & fides præ-*
beat,ur.

beatatur, hi sunt. I. *Ambitio*, quæ inæqualia Conjugia suadet. II. *Avaritia*, quæ divitiis solum inhiat. III. *Sensualitas*, quæ per scelera eò tendit, eaque quærit. *Idem.*

THESIS III. *Nuptiæ factæ sunt. Sanctum.*

Joan. 2. v. 1. Sacramentum hoc magnum est, designans tres ineffabiles Uniones velut toridem Conjugia. I. Unionem Verbi æterni cum nostra *Natura* in *Mysterio* Incarnationis. *Simile . . . Homini Regi, qui fecit Nuptias Filio suo. Matth. 22.* II. Unionem *JESU Christi* cum *Ecclesia*, quam sibi desponsavit Sanguine suo: seipsum tradidit pro ea, ut sit *sancta, & immaculata Ephes. 5.* III. Unionem deniq; *Sancti Spiritûs* cum *anima* fidei per *Gratiam*, juxta illud: *Sponsabo te mihi in Justitia. Ose. 2. Idem.*

THESIS IV. *Nuptiæ factæ sunt. Joan. Bonum.*

2. v. 1. Matrimonii bonum tripartitum est: *Fides, Proles, Sacramentum.* I. In *Fide* attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera vel altero concumbatur. II. In *Prole*, ut amantet suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè edu-

educetur. III. In Sacramento, ut conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causâ prolis, alteri conjungatur. *S. Aug. l. 9. de Genes. ad litteram.*

Bonum.

THESIS V. *Nuptiæ factæ sunt.* Joan. 2. v. 1. Matrimonii Bona tria sunt. I. *Fides*: hæc sacra est, quia 1. promissa 2. in facie Ecclesiæ jurata. 3. Christi sanguine stabilita. II. *Proles*: ordinata, ut 1. proles concipiatur 2. concepta nascatur. 3. Nata rectè educetur. III. *Sacramentum*: Hoc causat 1. Unitatem carnis. 2. Unitatem cordis. 3. Unitatem habitationis. *Vivien Tertull. Predic. p. 1. de Adulterio. c. 2.*

*Officium
Mariti.*

THESIS VI. *Nuptiæ factæ sunt.* Joan. 2. v. 1. Bonus Maritus, ut exprimat similitudinem Amoris JESU Christi erga Ecclesiam Sponsam suam 1. Defectus conjugis æquo animo perfert. II. Eam amat unicè. III. Totum cor fideliter ipsi servat. *Nicolaus Dion Capucin.*

*Quomodo
ineundum?*

THESIS VII. *Nuptiæ factæ sunt.* Joan. 2. v. 1. Tria nos compellunt, ut,

ut, antequam contrahantur Nuptiæ, ad Deum recurramus. I. Ipse status Matrimonii difficultatibus plenus. II. Animus malè ordinatus, & intentio mala, ut ea evitemus. III. Obligatio, vel virtutes, quas oportet exercere in hoc statu. Quia scilicet Matrimonium jugum, spinæ. Virtutes sunt honor, amor, fides, patientia, modestia, auxilium. *Nubant semper invocantes Dominum ut mediator adsit. S. Chysof. serm. 28. de divers.*

THESIS VIII. *Nuptiæ factæ sunt.* *Conjugium infelix.*
Joan. 2. v. I. Matrimonia persæpe infelicia sunt ex triplici causa. I. Quia non invitatur ad ea Christus. II. Quia Benedictio à Cælo non petitur, seu attrahitur. III. Quia in eo non purè vivitur, ut status requirit. *Bretteville.*

THESIS IX. *Nuptiæ factæ sunt.* *Difficile.*
Joan. 2. v. I. I. Conjugium difficile est Viris. II. Difficilius Fœminis. III. Longè verò difficillimum Fœminis devotioni deditis, quæ, quod patiantur, habebunt quotidie, & quidem injustè.

THESIS X. *Nuptiæ factæ sunt.* *Perfectū.*
Joan. 2. v. I. Tria constituunt Matrimonium in Christo perfectum I. Unionio

nio voluntatis utriusque, ecce *Fides*.
 II. Communio bonorum & malorum,
 ecce *Amor*. III. Fructus Deo, conse-
 crandus ad obsequium, ecce *Finis*.

Peccator. THESIS XI. *Vinum non habent.*
 Joan. 2. v. 3. Peccator in hoc mundo
 verum gaudium non habet. *Segneri*
Manna 15. Feb. *Paciuchelli in Jonam.*
Lect. 14. §. 9.

*Bona tem-
 poralia.* THESIS XII. *Aquam vinum fa-
 ctam.* Joan. 2. v. 9. Homines mun-
 dani, etiam dum possident bona tem-
 poralia, infelices sunt: quia bona hæc
 pervertunt, naturamque illorum de-
 struunt, aspiciendo illa velut æterna,
Tribulatio. cum sint transitoria. II. Christiani ve-
 ri econtra etiam in tribulationibus &
 ærumnis felices existunt, quia illas in
 bona commutant sibi, aspiciendo illas
 velut media ad evitandum peccatum,
 acquirendam virtutem, imitandum
 Christum, promerendum cœlum. Ita-
 que sicut Mundani ex ipsis bonis sibi
 faciunt mala, ita Christiani mala con-
 vertunt in bona. *Bretteville.*

Preces B. V. THESIS XIII. *Dicit Mater JESU*
ad eum. Joan. 2. v. 3. Intercessio MA-
 RIÆ

RIÆ obtinet ; quod sæpe intercessio
Sanctorum non obtinet ; ita ut verba
ipsum in vinum abeant , dum verba
illorum veluti aqua dilabantur.

THESIS XIV. *Aquam vinum fa-* *Miracula.*
Etam. Joan. 2. v. 9. Christus *Aquam*
mutavit in Vinum , & *Vinum in Sangui-*
nem , illud in prandio , istud in cœna ;
prius in Cana , posterius Jerosolymis ,
ut ostenderet : aquam tribulationis in
vinum consolationis , & vinum con-
solationis in Sanguinem tribulationis
(utpote qui in cruce effusus est) mu-
tatum iri.

THESIS XV. *Cum inebriati fue-* *Ebrietas.*
runt. Joan. 2. v. 10. I. Ebrietas est
Mater Paupertatis. II. Mater Infirmi-
tatum. III. Mater vitiorum. *La*
Selye, hic.

THESIS XVI. *Vocat Sponsam . . .* *Uxor.*
& dicit ei : Joan. 2. v. 9. Diligite u-
xores vestras , quod autem hæc volun-
tas Dei sit ; constat I. quia Deus mu-
lierem formavit de *costa viri*. II. Quia
noluit formare de *pede*. III. Sed nec
de *capite*. Unde S. Hieronymus ait :
Dominus non de pede , sed de *costa* for-
mavit

mavit mulierem, ne à viro contemneretur, non de capite, ne nimium vellet dominari.

Matrimonium.

THESIS XVII. *Nuptiæ factæ sunt.* Joan. 2. v. 1. Tria genera Matrimoniorum sunt. I. Solùm *Carnalia*, in quibus non nisi conjunctio carnis, sine unione animorum. II. Solùm *Spiritualia*, in quibus sola unio animorum sine conjunctio corporum. III. *Carnis & spiritus*, ubi sancta traditio corporis, & perfecta unio animorum invenitur. *Nicol. Düon Capuc. hic.*

Nuptiæ felices.

THESIS XVIII. *Vocatus est autem & JESUS.* Joan. 2. v. 2. Ad omnes Nuptias vocandus est JESUS. I. Ut purificet *Amorem*. II. Ut stabiliat *Fidelitatem*. III. Ut roboret *Patientiam*. *Diction. Apostolic.*


Infelices.

THESIS XIX. *Nuptiæ factæ sunt.* Joan. 2. v. 1. I. Nuptiæ funestæ sunt, ac improperæ, quæ cum præcipitatione fiunt, cum coactione, & inter dissimiles. II. Nuptiæ felices sunt, quæ cum præparatione fiunt, sine proprio studio, ac commodo, & cum honestate. *id. Ibid.*

Felices.

THE-

THESIS XX. *Vocatus est autem*
& JESUS. Joan. 2. v. 2. Vocandus est
nempe JESUS. I. in Electione. II.
in Desponsatione. III. in Societate. *id.*
Ibid.



DOMINICA III. post EPIPHAN.

THESIS I. *Domine non sum dig.* *Humilitas.*
nus. Matth. 8. v. 8. Humilitas
habet vim. I. Attrahendi. II. Au-
gendi. III. Conservandi Gratiam.
Vivien. Tertull.

THESIS II. *Domine, si vis, potes.* *Fiducia.*
Matth. 8. v. 2. Tria requiruntur ad
fundandam spem, & fiduciam in aliquo.
I. Quòd possit. II. Quòd sciat. III.
Quòd velit juvare. hæc omnia utique
in Deo videmus.

THESIS III. *Accessit ad eum Cen-* *Charitas*
turio. Matth. 8. v. 5. In Domo Dei *proximi.*
qui alienum, idem proprium negoti-
um curat; sibi enim invenit, qui aliis
quæ-